



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-582873-p0001-1

DFG



214
DISPUTATIO JURIDICA
De
RESCISSIONE
CONTRACTUS

Ex l. 2. C. de rescind. vendit.

QUAM
AVSPICIO SS. TRINITATIS,

P R A E S I D E

Viro Clarissimo & Consultissimo,

DN. GEORGIO - DAVIDE
LOCAMERO, V. I. D. ET VNIVER-
SITATIS ARGENTORATENSIS ANTE-
CESSORE CELEBERRIMO, PRÆCEPTORE
suo, Fautore, Promotore æternūm
colendo,

Publicè & solenniter examinandam
proponit

19. Decembr. hor. matut.

ADAMVS HÜENERER ARGEN-
TORATENSIS.



ARGENTORATI,

Excudebat PAVLVS LEDERTZ

M. DC. XXVII.

AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
REVERENDIS, CONSULTISSIMIS, EXPE-
RIENTISSIMIS, CLARISSIMIS, Multoq;
rerum usu Præstantissimis

VIRIS:

- Dn. SEBASTIANO Schachen / Inclutæ Reipubl. Ar-
gentoratensis Quindecim - viro meritissimo ;
Dn. CASPARO BITSCHIO, JCto, Codicis & Juris
Feudalis Professori celeberrimo ;
Dn. JOANNI- JACOBO Meyeren / Monetariæ Tri-
um - viro laudatissimo ;
Dn. JOANNI- RUDOLPHO SALTZMANNO,
Medicinæ Doctori excellentissimo , eiusdem Facul-
tatis Professori celeberrimo , Reipub. Physico ordi-
nario, Cognato honorando ;
Dn. CASPARO Rhener / Judicij Civitatis Referenda-
rio dignissimo ;
Dn. M. DANIELI Gottwald / Ecclesiæ Thomanæ Anti-
stiti vigilantissimo ;
Dn. MARCO CONRADO Dörer / Judicij Tutelaris
assessori gravissimo ;

*Legati Schenckbecheriani Præfectis &
Administratoribus fidelissimis,
dexterrimis:*

*Dnn. Patronis, Promotoribus, Fautoribus, & Präce-
ptoribus meis devotâ animi submissione & obser-
vantiâ perpetuò colendis:*

*præsentes theses juridicas
in ulteriore mei commendationem humiliter
& officiosè
Dico & Consecro*

A. H.

DISPUTATIO DE RESCISSIONE CONTRACTVS

Ex l. 2. C. de rescind. vendit.

Ræclarè Cicero lib. 3. Offic. Sapientis est, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris. Id enim qui neglexerit, & quavis ratione augere rem suam familiarem tentaverit; si non pænam delicti, rescissionem saltē & retractationem contractus expectare necesse habebit: sive ex proposito, sive re ipsa, quid injustè vel iniquè contraxerit. arg. I. 1. & 2. ff. de Legib. & l. 36. ff. de V. O.

2. Insigne ejusmodi rescissionis exemplum atq*uis* remedium, ostenditur in l. 2. C. de rescind. vendit. de quo strictiori stylo quid proponere est animus.

3. Ita autem in d. l. 2. Imperatores Diocletianus & Maximianus Augusti, Lupo cuidam rescripsérunt: Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus, minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias, autoritate judicis intercedente: vel, si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit.

4. Constanti lectione: nisi quod in fine pro verbis veri pretii, quæ sunt in editione vulgatâ, aliij Codices

dices habeant justi pretii: alii verò nudum pretii verbum exhibeant. not. Russard. hīc, & Obrecht. in disp. ex h. l. 2. th. 178. & seqq.

5. *Et rotundâ sententiâ: Quod venditio, minori pretio quām par sit dimidio facta, humanitatis ratione per judicem rescindi possit ac debeat; ita, ut emptor, vel pretio recepto rem restituat; vel si id maluerit, quod deest justo pretio suppleat.* concord. l. 8. circa fin. C. eod. tit.

6. *Fuvat autem videre primum, quæ istius rescissionis sit causa: unde facilius intelligetur, quibus in casibus remedium hoc locum inveniat; & cui, adversus quem, competit. Deinde, quæ sit remediū hujus intentio; quiique consequenter effetus. Et denique, quæ ejus præcipue contraria, quæque affinia.*

7. *C A V S A illa duplex notari potest: una, quæ remedium illud exposcit; altera, quæ id ipsum suggerit.*

8. *Prior illa causa in factō consistit; & est laſio ultra dimidium justi pretij: hoc est, si res ita vēdit a sit, ut pretium, seu pecunia pro ea accepta, dimidium ipsius rei nō exæquet. h. l. 2. ibi; rem maioris pretii: & ibi, minoris distraxerit; & ibi, si nec dimidia &c. V. G. si res 100. aureorum, vendita sit aureis 49. aut quovis alio pretio 50. aureis minori.*

Obser-

9. Observandum autem circa hanc causam
Primò, quòd non requiratur, ut lesio sit facta ex
proposito seu dolo adversarij; sed sufficiat, quod sit
facta ultra dimidium, adeoque res ipsa in se do-
lum contineat. arg. l. 8. ff. de public. in rem. fac. l. 36. ff.
de V. Q.

10. Secundò, quod dimidium istud spectan-
dum sit unicè, ita, ut licet enormis sit lesio; tamen
si non sit ultra dimidium, justam rescissionis cau-
sam non præbeat. per text. in l. 8. C. de rescind. vendit.

II. Tertiò, quod justum rei pretium, de cuius
dimidio hic agitur, spectandum sit tempore con-
tractus initi, non tempore venditionis petendæ ve
rescissionis. d. l. 8. in fin. ibi, quod fuerat tempore vendi-
tionis.

12. Quartò: quod pretium istud estimandum
sit, non ex affectione ejus qui hoc remedio usurus
est; sed ex functione communi: arg. l. 63. pr. ff. ad L.
Falcid. l. 33. ad L. Aquil. habità ratione tūm qualitatis
rei, tūm quantitatis fructuum. l. 16. C. de rescind. ven-
dit. & l. pen. ff. de reb. eor. qui sub tut. *Ac si dubium sit*
pretium, alijs fortè testibus de majori, aliis de mi-
nori attestantibus: tunc, nisi qua alia causa aliud
suadeat, pro minori potius quam majori valore
præsumendum sit; ita ut contractus potius subsi-
stat, quam corruat. arg. l. 38. §. 1. de re iudic. & l. 12. ff.
de reb. dub.

A 3

Quintò,

13. Quintò, quod res viliori pretio vendita, intelligenda hic sit non quævis, etiam minima: sed potissimum immobilis, vel certè pretiosa mobilis. fac. h. l. 2. verb. fundum. l. 54. ff. de contrah. empt. l. 22. C. de administ. tut.

14. Sextò & postremò: quòd venditio, cui lesio ista seu causa rescissionis accidit, accipienda sit ea quæ facta est à majoribus 25. annis. fac. l. 15. collat. cum l. 8. C. de rescind. vendit. add. infr. th. 35. & 52.

15. Altera rescissionis istius causa, ad fūs respicit, & est humanitatis ratio, seu equitas. h. l. 2. ibi, humanum est.

16. Aequitas verò non ea, quæcuivis, vel unius alterius videri posset; sed quam Legislatoris autoritas firmavit, ac istum rescissionis effectum habere voluit. fac. l. 91. §. 3. de V. O.

17. Quod notare attinet, non tam ut credimus, ante d. l. 2. jus istud in usu non fuisse: quam ut sciamus, & post d. l. 2. jus istud non ad quosvis causas extendendum esse.

18. Nam & ante d. l. 2. humanitatis seu aequitatis rationem extitisse, dubitari non potest: arg. §. II. ibi, quod cum ipso genere humano: Institut. de R. D. neque tamen ex sola pretij quantitate, seu in aequalitatis ratione aliquà venditio rescindi potuit: ut patet ex l. 22. §. ult. & l. 23. ff. locat. sed sicuti aliquis in contractu isto enormiter lassus, rescissionem obtine-

re

re voluisset, dolum, aut metum, aut minorem etatem allegare necesse habuisset. d. l. 23. ff. loca. l. r. §. 12. & seq. ff. si quid in fraud. patr. l. II. C. de præd. minor.

19. Post verò d. l. 2. in qua ex ista aequitatis ratione, jus certum constitutum est, cavendum erit, ne propter quamcunque inæqualitatem pretij aliam, & infra dimidium consistentem, rescissio ipsius contractus admittatur: d. l. 2. & l. 8. eod. tit. sed ad jus magis constitutum, (quod ex Legislatoris autoritate certum est,) quam ad furis istius rationem (perse incertam, & ad modum lesionis cum hunc, tum alium constituendum aquè idoneam) respiciatur: firmà præsumptione, quod si Imperatores in alio & minori etiam lesionis modo, rescissionem contractus admittendam statuissent, non ita disertè & præcisè ipsius dimidiū mentionē fecissent: maximè cum sciverint, etiam infra dimidium lesiones multas contingere. dd. ll. & arg. l. I. §. 5. ibi, sed nullum remedium. ff. de separat. l. I. §. I. in fin. ff. si mens. fals. mod.

20. Et improbandum igitur, quod nonnulli existimant, venditori læso succurrendum, etsi læsio ad dimidium justi pretij non ascendat, modo probari possit, urgente necessitate venditionem esse factam. Cum nec vendendi necessitas venditionem reddat irritam. l. 12. l. 16. C. de rescind. vendit. l. 2. C. si propt. pens. publ.

Neque

21. Neque tamen propterea ita strictè ac rigide accipienda lex ista fuerit, ut in solo venditore valeat: vel etiam in omnibus casibus, quibus lesio ultra dimidium ostendi potest, obtinere debeat.

22. Cum enim semel introductum sit ista lege, ne circumventio, alias in commutationibus, ac emptionibus-venditionibus permissa, permittenda sit, si excedat modum dimidiij: supr. dd. II. bona occasio erit, ad similia procedere, & qua ad eandem utilitatem tendunt, interpretatione, vel certè jurisdictione supplere. l. 12. & seq. ff. de legib.

23. Et locum igitur habebit beneficium hujus legis secunda, etiam in emptore, si is ita magno emerit, ut res empta dimidium soluti pretij non exequet. arg. l. 32. ad l. Aquil. & l. 68. de R. J.

24. Locum etiam habebit in Locatione - Conduktione: quippe qua Emptioni - Venditioni ita affinis ac similis est, ut iisdem ferè Juris regulis constere dicatur. pr. Inst. de locat. cond. l. 2. ff. cod.

25. Idem dicendum de rerum permutatione; qua & ipsa Emptioni - venditioni vicina est. l. 2. ff. de rer. permut. l. 19. §. 5. de ædil. edict.

26. Idem de rerum divisione: qua emptionis vicem obtainere dicitur l. I. C. comm. utriusq; iudic.

27. Idem de aliis negotiis, in quibus termini habiles, accomutatio aliquarei, estimationis ve, bonâ-

67.

bonâfide facta ing ea enormissima laſio ostendi
potest. arg. l. 3. C. comm. utriusq; jud. l. 6. c. solut. matrim.
l. 46. §. ult. ff. de solut. &c.

28. Unde \mathcal{E} in transactione locum esse huic
remedio, verisimilius est, si manifestum fieri possit,
quod duplo plus remissum quam acceptum sit; nec
transacturus quis fuisset, si commodi \mathcal{E} merita
suæ causæ, quamvis sibi dubie, tamen alij pruden-
tiori, saltem pro parte dimidiâ, certa, non ignoras-
set. fac. l. 5. C. de dol. ma. Quod ipsum tamen qui arā-
rius in facto contingit: l. 51. ff. de pecul. ideo \mathcal{E} rari-
or hujus remedij usus in eâ fuerit. arg. l. 30. ff. de test. tut.
Qui \mathcal{E} nullus erit, si causa evitanda litis, quæ ta-
men nulla fuit, trāsactio inita, ac datū quid fuerit.
fac. l. 2. C. de transact. l. 65. §. 1 ff de cond. indeb.

29. Locus autem erit huic remedio, licet em-
ptio - venditio, aliisve bonâfidei contractus, stipu-
latione confirmatus, vel etiam novatus fuerit.
arg. l. 4. pr. ff. de usur. l. 56. de legat. l. l. 29. ff. de novat.

30. Contrane nulli sunt casus, quibus licet la-
sio in negotijs equalitate regendis ultra dimidium
ascendat; rescissio tamen contractus fieri nō debeat.
fac. l. 1. l. 80. & l. 202. de R. J.

31. Sic enim non fit locus huic remedio, si ven-
ditor, aut alius laſis verum pretium vel aestima-
tionem rei scrivit, ac nihilominus ita contraxit.
arg. l. 53. & l. 145. de R. J.

B Scien-

32. Scientiam autem illam probare debet adversarius, contra quem rescissio isthac petitur. et si enim qui vis rerum suarum valorem intelligere presumatur: l. 15. C. de rescind. vendit. demonstrata tamen lesionē enormissimā, aliā vicissim presumptione, quod sc. nemo suum factare credatur, l. 25. ff. de probat. à priore illā presumptione liberabitur.

33. Sic & longè minus concedendum erit hoc beneficium, si venditor (ant similis alius) expressè declaraverit, se id, quanti res sua pluris fuerit, alteri donare. l. 38. ff. de contrah. empt.

34. Sic & si renuntiatum sit huic beneficio, frustrà id implorabitur. argum. l. penult. Cod. de paet. sive in specie, ac verbis ad ipsam hanc legem directis; sive generali oratione, qua sine calumniā coarctari non possit, renuntiatio sit facta. arg. l. si. in fin. ff. de administr. tut.

35. De contractu minoris 25. annis dubitatur, an juramento generaliter concepto confirmatus, quod minor contra eum nihil facturus sit, habeatur ratus tantum ita, ne per restitutionem in integrum; an vero & ne per h. l. 2. rescindi queat? sed posterius magis videtur. per l. 1. & auth. subj. C. si advers. vendit.

36. Si mutuum sub usuris in leviori monetā acceptum, solutio autem cùm usurarum tum sortis,

tis, secundum tempus solutionis, etiam quo gravi-
or moneta in usum redierit; ex isto mutuo promis-
sa sit: Vel, si pro sexcentis florenis (qui tempore con-
tractus erant thalerorum centum) venditi sint
annui redditus florenorum triginta; (qui tempore
solutionis fuerint thalerorum viginti:) num ra-
tus sit contractus, an vero rescissione isti fiat locus,
quari potest. Sed dicendum: quod priori casu re-
scissione non sit opus; quia ipso iure contractus in
ampliorem sortem, quam quæ data est, non valet:
l. 17. princ. de paet. l. 30. ff. de reb. cred. & l. 7. ff. de novat.
nec pro usu pecuniae, ultra legitimum usurarum
modum stipulari quid licet. l. 26. C. de usur. In poste-
riori, rescissio tentari possit, arg. h.l. 2 junct. c.i. de empt.
vend. in extravag. & constit. polit. de anno 1548. repetit. ann.
77. tit. 17. §. 8. nisi evidens sit, quod venditor gnarus
istius levioris monetae, ac futuram ejus mutatio-
nem prævidens, deliberato consilio, & in gratiam
emptoris, cui benefacere voluit, ejusmodi venditio-
nem fecerit. per not. sup. th. 31. Ceterum si & in ipso
consilio erratum fuisse eventus ostendat: (ut non
nunquam, quod credebat conjectura prodesse, ex-
perimento invenitur inutile. Nov. III. in præfat.) hu-
manum adhuc fuerit hujusmodi venditori succur-
rere: fac l. 15. in fin. ff. de jurisd.

37. Apparet hinc satis, C VI, ADVERSVS QVĒ,
B 2 reme-

remedium h. l. 2. competit: laeso nimirum, adversus ledentem, in casibus predictis, aliisq; similibns.

38. Ceterum & heredibus, ac contra heredes id concedi, constat tūm ex h. l. 2. ibi, vel pater tuus: tūm etiam plenius ex §. I. Inst. de perpet. & temp. action.

39. Retrahenti etiam beneficium hoc dari, patet ex eo, quod is in locum venditoris succedit: magisq; privilegium causa, quam persona hic exerciturus sit. arg. l. 29. ff. de re judic.

40. Num & contra tertium possessorem, qui rem v. g. dimidio quam par erat minoris alicui venditam, ab emptore illo emit, remedium id competit, dubitari forte posse: sed inspiciendum, an primus emptor sit solvendo, nec ne. Priori casu, non erit, cur adversus emptorem secundum veniatur. argum. §. I. Institut. de action. & l. 2. Cod. de hered. act. Posteriori amplius videndum, num secundus emptor similiter viliori pretio emerit, an justo. Illic enim si non directo, saltem utiliter convenientius videbitur emptor secundus, concessu videlicet primo venditori jure illo, quod secundus, eidem illi primo obstrictus, contra istum emptorem secundum habuisset. arg. l. 43. de action. empt. & l. 94. §. I. de leg. I. Hic verò non erit, ut primo venditori, ante emptorem secundum subveniatur. arg. l. 67. de fideiussor. l. 178. de R. J.

Circa

41. Circa INTENTIONEM porrò hic primō inquirendum; quā viā procedendum, ut ex causis supra indicatis, ex d. l. 2. contractus rescissio obtinetur: Et præcipue, num id fieri possit vel debeat, per restitutionem in integrum; an verò per actionem quam aliam.

42. Tenendum autem quod ad istum effectū instituenda sit non restitutionis in integrum petītio, arg. l. i. l. 26. in fin. & l. 28. pr. ff. de maior, sed actio, Et quidem ex contractu illo bonāfide habito, in quem laesio ejusmodi incidit: arg. l. 31. §. 20. ff. de ædil. edict. §. 28. Instit. de action. vel si in dissolutionem inciderit laesio, repetenda actio antiqua, aliáve competens. argum. l. 19. C. de transact. l. 56. §. 1. de solut. l. i. §. 18. deposit. l. un. de cond. ex lege.

43. Cujus inquisitionis usus maximè conspi-
cuus est, in tempore, seu duratione hujus remedij.
Cum enim in integrum restitutionis petitio non ni-
si intra quadriennium fieri possit: l. ult. C. de temp. in-
integr. actio ex vendito v. c. durat totos annos tri-
ginta. pr. Instit. de perpet. & temp. action. l. 3. C. de præ-
script. 30. vel 40. annor.

44. Deinde observandum, quod in intentio-
nem seu petitionem hanc veniat sola contractus re-
scissio, h.e. ut recepto pretio restituatur res, quam a-
ctor nimis vili pretio alienaverit: vel receptā re-

B. 3. restitua-

restituatur pretium quod plus justo is solverit:
l. 8. verb. rescindi. C. de rescind. vendit. Ita tamen, ut in
subsidiū liberum sit reo, utrum ultrò citrōq; re-
stitutione factā à contractu discedere: an pre-
tium supplere vel de eo aliquid reddere malit.
h.l.2. l.1. §.12. & seq. si quid in fraud. patr.

45. *Quod notasse hunc habet usum, ut intelli-
gamus, q; si res minoris distracta, sine emptoris cul-
pā interierit, nullus huic remedio locu; sit reliquus.*
arg. l.5. de reb. cred. l.107. ff. de solut.

46. *Ex quibus ipsis & præcipuis hujus rene-
dij EFFECTVS elucet, discessio sc. à negotio contracto,
aut suppletio, vel relevatio pretij.*

47. *De quo notandum ulterius, quod supple-
tio, vel relevatio illa pretij intelligenda sit, non de
pretio dimidio, (quod ex justi lectione in fin. d.l.2.
nonnulli intelligunt) ad quem usq; modum, ceteris
paribus, contractus subsisteret, sed de pretio toto
seu aequivalente: quod ex lectione pretii veri (eius-
dém ve justi) & pretii absolute, alijs rectius significat*
h.l.2. & l.8. C. eod. tit.

48. *Sunt verò & alijs rescissionis istius effectus:
veluti quod venditor præstare debeat emptori im-
pensas interim in rem factas: arg. l.39. §.ult. ff. de min.
l.5. §.4. de impens. in res dotal. maximè tolerabiles:
argum. l. 43. §. ultim. ff. de action. empt. l. 38. de R. V. l. 25.
de pigner, act.*

Item

49. Item quod Emptor restituere debeat, non ipsam tantum rem, sed simul etiam fructus interim ex eâ perceptos. arg. l. 23. §. 9. de ædil. edict. l. 24. §. 4. de minor. admittendâ tamen eorum compensatione cum usuris pretij, quod interim venditor habuit: pro ratis portionibus: nisi is fructus omnes restitueret, & vicissim integras totius pretij usuras à venditore recipere maluerit. l. 40. §. ult. ff. de minor.

50. Denique quod factâ rescissione etiam jus seu onus quod interim rei ab emptore fuit impositum (velut si fundus pignori obligatus, vel servituti subjectus fuerit) resolvatur. l. 31. de pignor. l. 3. pr. quib. mo. pign. solv. l. 4. §. 3. de in diem addict.

51. CONTRARIA istius remedij, ex sâpè positis facile colligi possunt: ut sunt scietia veri pretij th. 30. donatio. th. 33. Renuntiatio. th. 34. lapsus 30. annorum. th. 43. rei interitus. th. 45. quibus enim cunque in casibus id deficere dictum est; in ijs & contrarium quid esse intelligendum est.

52. AFFINIA præcipue sunt Restitutio in integrum, si minor in ejusmodi contractu ad quemvis modum sit lassus. l. II. C. de præd. minor. differens inter alia in eo, quod restitutio illa, pleniorum rescissio- nem habeat, quam isthocremedium: quod sc. qui à minore viliori pretio emit, omnino rem restituere.

attuere debeat, nec supplicationem pretij eligere queat.
I.24. §.4.I.27. §.1. in fin. de minor.

53. *Item rescissio ob laſionem aliquam , etiam
antra terminos dimidij consistentem : dummodò
dolus , aut metus , aut quid simile argui possit.*
I.5.I.8.pr.I.10.I.16.C.de rescind.vendit.

54. *Item actio quanti minoris , redhibitoria ;
de quib. in tit. ff. de ædil. edict. I.25. §. 1. de except.
rei judic. I. 2. Cod. de ædil.
action, & cæt.*

FINIS.

Massburg, Diss., 1627-28




SB

DN



Farbkarte #13

B.I.G.



DISPUTATIO JURIDICA

De

RESCISSIONE CONTRACTUS

Ex l. 2. C. de resind. vendit.

QUAM

AVSPICIO SS. TRINITATIS,

P R A E S I D E

Viro Clarissimo & Consultissimo,

DN. GEORGIO - DAVIDE
LOCAMERO, V. I. D. ET VNIVER-
SITATIS ARGENTORATENSIS ANTE-
CESSORE CELEBERRIMO, PRÆCEPTORE
suo, Fautore, Promotore æternùm
colendo,

Publicè & solenniter examinandam
proponit

19. Decembr. hor. matut.

ADAMVS Hüenerer ARGEN-
TORATENSIS.



ARGENTORATI,

Excudebat P AVL VS LEDERTZ

M. DC. XXVII.

